UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avrevs Adversus profanas Hæreseōn novationes

Vincentius <Lerinensis>

Coloniae, 1652

Caput II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-55177

Visual Library

tate diſcernere, hujuſmodi ſemper reſponſum ab omnibus ferè retuli: Quod ſive ego, ſive quis alius vellet exurgentium hæreticorum fraudes deprehendere, laqueosq́ue vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam Domino adjuvante deberet. Primo ſcilicet, divinæ legis auctoritate: tum deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.

Caput II.

HIC forſitan requirat aliquis: Cùm ſit perfectus ſcripturarum canon, ſibique ad omnia ſatis ſuperq́ue ſufficiat, quid opus eſt, ut ei Eccleſiaſticæ intelligentiæ jungatur auctoritas? Quia videlicet ſcripturam ſacram pro ipſa ſua altitudine non uno, eodemq́ue ſenſu univerſi accipiunt: ſed ejuſdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur: ut penè quot homines ſunt, tot illic ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namque illam

Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit: aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priſcillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Celeſtius. aliter poſtremo Neſtorius. Atque idcircò multum neceſſe eſt, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur.

Magnoperè curandum eſſe, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt.

CAPUT III.

IN ipſa item Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, ut id teneamus, quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt, hoc eſt etenim verè proprieque Catholicum quod ipſa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè univerſaliter comprehendit, ſed hoc ita demùm fit: ſi ſequamur Univerſitatem,